



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Vniuersa Theologia Scholastica, Speculatiua, Practica**

Ad methodum S. Thomæ, quatuor Tomis comprehensa

**Tanner, Adam**

**Ingolstadii, 1626**

Dubium I. An & qua ratione Deus sit beatus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72856](#)

cundo. Actus primus, & actus secundus, sunt correlative; nec est nullus actus secundus, qui non supponat primum; Ergo si actus secundus in Deo est, etiam primum erit. Tertio. Datur communis quidam conceptus potentia, ratione ab actu secundo distinctus, qui verè Deo conuenit; nimirum esse perfectionem, qua quis possit agere; sive potentia & actione re ipsa differant; & siue actus secundus verè procedat ab actu primo, sive non. Quarto. Deus re ipsa intelligit & vult: Ergo potest etiam intelligere & velle; adeoque habet potentiam intelligendi & volendi; qui conceptus est potentia, seu actus primi; non actus secundi. Denique inter omnes ferè Doctores constat, ut dictum, verè ac proprie in Deo esse potentiam actuam seu productiuam ad intra, respectu personæ productæ; & tamen nulla à parte rei est realis processio actionis notionalis à persona producente; immo forte nec potentia productua, prout præcisè dicit principium producendi, est aliquid re ipsa distinctum ab essentia, ipsique personis productis, ut suolocofusus dicetur. Cur non ergo hic etiam, non obstante identitate ipsius intellectus & intellectio, dicitur non solum ipsa intellectio, sed ipsa etiam potentia intelligendi in Deo esse?

Ad fundamentum contrarie sententiae utrumque, Responderetur primo; siquid probaret, etiam probaturum, non esse in Deo actionem, sive actum secundum; cum non minus sit de ratione actionis immanentis, siue actus secundi, ut re ipsa eliciatur, & perficiat potentiam, quam de ratione potentia & actus primi, ut perficiatur & eliciatur secundum; ut etiam in prima probatione assertionis dictum.

Respondet secundo, de potentia & actu duplicitate loqui nos posse. Primo stricte, ut per potentiam significetur principium aliquod verè & propriæ effectuum alicuius actionis; que proinde vicissim aliquid etiam significet re ipsa procedens à principio; & hoc sensu propriæ in Deo, nec est actus primus, nec secundus; nec potentia activa, nec actio; loquendo de actibus immanentibus: cum in Deo nulla prolata à parte rei sit inter ea, quæ reculimus, diuersitas. Secundo eadem considerari possunt latè & abstractè, atque communiori quadam ratione; ut nimirum potentia significet præcisè perfectionem, qua quis potest agere; actio vero, id quo quis formaliter agit; sive actio & potentia re ipsa differant, vnumque ab altero re ipsa procedat, alterumque perficiat, sive non: & hoc sensu verè ac propriæ utrumque Deo tribuimus; nec conceptus unius, est conceptus alterius, ut patet. Nequead rationem potentia hoc sensu requiritur, ut re ipsa sit, aliquid perfectibile ab actione immanente; neque ut re ipsa producat actum secundum: sed solum ut cogitur potentia tanquam aliquid, cui secundum rationem nostram aduenire possit ratio actionis, quasi distincta & noua secundum rationem perfectio, item ut actio cogitur per modum quasi perfectionis superad dite potentia, & ab ea secundum nostrum intelligendi modum quasi procedentis; ut in simili etiam suo loco de proprietatibus & attributis diuinis in genere diximus. Atque hæc de diuina potentia

satis.

## QVÆSTIO XII.

## De Beatiitudine Dei.

S. Thomas. I. p. q. 26. aa. 4.

**A**bsolutè hoc quæsito dubibus dubitationibus. I. An, & qua ratione Deus sit beatus. II. An beatitudo sit proprium & speciale attributum Dei; & qua ratione ad alia attributa Dei comparetur.

## DUBIUM I.

**An, & qua ratione Deus sit Beatus.**

S. Thom. I. p. q. 26. a. 2. 2. 3. &amp;c. 4.

**D**octrina vera, & orthodoxa S. Thomæ, hac de re, in his assertionebus consistit.

Assertio I. Deus verè, proprie, ac formaliter est beatius. Ita S. Thomas q. 26. art. 1. nullo repugnante, & est de fide, ex Scriptura i. ad Timoth. 6. vers. 15. Quem suis temporibus ostendit Deus, beatus & satis potens, Rex Regum, & Dominus dominantium. Idem passim docent SS. Patres. Probatur à S. Thoma ibidem. Quia beatitudo nihil aliud est, quam bonum perfectum (& supremum) intellectualis naturæ; suammet sufficientiam cognoscens in bono, quod habet:

quorum utrumque & perfectum scilicet esse, & intelligentem, excellentissime Deo conuenit. Secundo. Beatitudo secundum Boetium lib. 4. de consolat. est status omnium bonorum aggregatione perfectus: atqui Deus est in statu omnium bonorum aggregatione perfecto; non quidem quod in Deo sit aggregatio bonorum per modum compositionis: sed per modum simplicitatis: quia quæ in creaturis multiplicia sunt, in Deo praexistunt simpliciter, & unitè, ut recte idem S. Thomas cit. quæst. 26. a. 1. ad 1. Tertio. Beatitudo consistit in fruitione aut possessione summi boni: Deus

autem

autem dum seipso fruitur, seque ipsum intrinsecè quasi possidet; sumnum utique bonum possidet, ac seipso felicissime fruitur, vt loquitur etiam S. Gregorius lib. 3. 2. moral. c. 5. vbi art. ipse glorijs, qui dum se ipso perfruitur accederet laude indigena non est. Neque refert, quod beatitudo in nobis habet rationem domini, vel præmij, hoc enim per accidens sit; quia non est debita nostra natura, sed operibus acquirenda: cum tamen Deo sit naturalis, & congenita, vt recte S. Thomas cit. q. 26. a. 1. ad 2.

Assertio II. Beatitudo non contineat Deo formaliter secundum essentiam, sed secundum operationem; & quidem intellectus, quæ seipsum videt. Ita S. Thomas q. 26. art. 2. & communiter Doctores, speciatim Caietanus ibidem, & Gregorius de Valentia hic q. 28. punct. 1. Probatur, quia beatitudo consistit in possessione intellectuali summi boni: hæc autem intellectualis possessio includit cognitionem, quæ suum bonum, suamque perfectionem quisque cognoscit; absque hac enim stultus esse quidem aliquis potest; sed beatus esse non potest: Ergo beatitudo non competit Deo formaliter ac præcisè secundum rationem essentia.

Item beatitudo consistit in perfectione quadam ultimata, & cuncta intelligentia naturæ; talis autem est operatio intellectualis, non ipsa essentia, quæ secundum rationem nostram ipsa in intellectione quodammodo perficitur. Tertio. Beatitudo est obiectum ipsius voluntatis: Ergo non consistit inacta voluntatis, sed supponitur a voluntate; ac proinde est actus intellectus. Denique in ceteris beatibus, cuiusque beatitudo consistit in visione Dei; quia luxta S. Augustinum lib. 12. de ciuit. Dei, c. 29. visio est tota merces. Ergo idem proportionaliter de Deo sentendum; quia beatissimantur Deo in beatitudine, iuxta illud 1. Ioan. 3. v. 2. similes ei erimus.

Assertio III. Deus est summum ac infinitè beatus. Colligitur ex S. Thoma cit. q. 26. a. 3. & 4. nec à quoquam negatur: quia ad summam & infinitam beatitudinem, in Dei visione positam, duo hæc requiruntur; primum ut obiectum ipsius visionis sit summum & infinitum; deinde ut ipsa etiam visio eiusdem sit summa & infinita; alioquin enim nec possessio eius boni erit summa & infinita: id vero virumque planè Deo conuenit; cum è contrario in beatitudine, quacunque creata, primum tantum illud reperiatur, vt docet S. Thomas cit. art. 3. ad 1. & 2. vbi recte notat, Deum esse quidem beatitudinem cuiusque beatitudo, sed obiectuum, non formalem; seu finem ultimum eius, & vt rem; non finem ultimum Quo, seu ut usum, aut potius fruitionem rei; de qua distinctione finis Aristoteles in 2. physic. text. 24. & 2. de anim. t. 37. & plura in 1. 2. & supra quæst. 6. dub. 1. & 4.

Assertio IV. In beatitudine Dei eminenter includitur omnis beatitudo creata, seu quidquid est desiderabile in illa beatitudine alia, seu veræ, seu falsa. Ita S. Thomas cit. quæst. 26. art. 4. omnibus consentientibus: & patet ex præcedenti assertione; quælibet enim divina perfectio, hoc ipso, quod infinita est, continet eminenter aliam quamvis sibi similem, siue genieris, & quidquid in his est bonitatis, seu perfectionis. Accedit ratio ab inductione seu partium enumeratione. Quia, vt sapienter notauit S. Thomas cit. artic. 4. *Beatitudo divina, de contempla-*

*tua felicitate, habet continuam & certissimam contemplationem sui, & omnium aliorum: de actua vero gubernationem totius universi. De terrena vero felicitate, quæ consistit in voluptate, diuisu, potestate, dignitate, & fama, secundum Boetium in 3. de consol. habet gaudium de se, & de omnibus alijs, prodelectatione. Prodiuitis habet omniam modum sufficientiam, quam diuine promittunt. Pro potestate omnipotentiam. Pro dignitate omnium regimen. Pro fama vero admirationem totius creatura.*

## D V B I V M II.

*An Beatitudo sit proprium, & speciale attributum Dei; & quare ratione ad alia attributa diuina comparetur.*

S. Thomas 1. p. q. 26. a. 2.

Nihil S. Thomas hac de re disertè scribit; nisi quod initio questionis 26. priusquam de beatitudine diuina agere incipiat, ita prefatur: *Vtimum autem post considerationem eorum, quæ ad divinæ essentia & unitatem pertinent, considerandum est de divina beatitudine. Etrursum in fine eiusdem questionis, ita concludit. Et hæc dicta sufficient, de his, quæ pertinent ad divinæ essentia & unitatem: ex quibus nihil firmum in veritate partem videtur colligi posse; neque ferè etiam alicui Doctores hac de re quicquam attingunt; nos tamen rem paucis ita explicamus.*

Assertio I. Beatitudo pertinet ad rationem attributalem Dei, non essentialem. Hæc est aperta doctrina. S. Thomæ h[ab]it[us] q. 26. art. 2. ad 1. vbi ait: *Deum esse quidem beatum secundum suam essentiam; beatitudinem tamen ei non conuenire secundum rationem essentiae, sed magis secundum rationem intellectus. Ratio sumitur ex dub. præced. assert. 2.*

Assertio II. Beatitudo propriæ est attributum Dei. Est mens S. Thomæ, & aliorum Doctorum, quando cum ceteris attributis diuinis beatitudinem connumerant. Ratio est; quia attributum diuinum propriæ, & vero etiam strictè acceptum, plus non requirit, quam ut sit prædicatum diuinum, positum, absolutum, non essentiale, sed quasi secundum rationem nostram consequens essentiam; ut supra quæst. 2. fuisse explicatum: hoc autem totum conuenit beatitudini diuinæ, ex dictis.

Assertio III. Beatitudo videtur attributata diuinum, ab alijs attributis diuinis, hæc tenus pertractatis, diuersum. Videtur etiam mens S. Thomæ, & aliorum Doctorum, quando de hac, non minus, quam de alijs attributis scorsim ac distinctè agunt. Et in ipsa illa sua præfatiuncula, superioris commemorata, satis aperte indicat S. Thomas, beatitudinem esse quidam à ceteris, quæ ad divinæ essentia unitatem pertinent, antea explicatis, distinctum. Ratio est; Quia si non esset distinctum attributum, propterea non esset, quia esset idem cum scientia diuina, in qua beatitudinem collocatam à S. Thoma præcedenti dubio vidimus: sed hoc non est; quia tamen si obiectum sit ipsa scientia diuina, quia Deus seipsum comprehendit, est tamen alia ratio formalis beatitudinis; alia scientia: quod tum ex declarata rati-